



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,  
opusculum:||**

**Clicthove, Josse**

**Coloniae, 1527**

**VD16 C 4208**

Aliis Insuper rationibus, ut adoratio[n]e publica eucharistiae & celebratione festi corporis Christi comprobari, quod uere ipsum contineatur in Eucharistia. XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30220**

## DE SACRAMENTO

¶ Alijs insup rationibus, ut adoratiōe publica eucharistiæ, & cælebratione festi corporis Christi: comprobari, q̄ uere ipsum continetur in eucharistia. Cap. XIX

**P**Rædictis & illud adijciendum est quod ex institutiōe laudabili ecclesiæ, proponitur in templis sanctissimum eucharistiæ sacramentum, adorandum a toto populo: aut in supremi præcipuiq; altaris eminente loco, aut ad latus ipsius aliquo interstitio spacio, in honesto aliquo & decente cōditorio, ut in ipso templi ingressu fideles ad genua suppliciter procumbentes: adorent ipsum regem cœlorum & dominū gloriæ, inibi corporaliter præsentem. Hanc uero Christi in eucharistia adoratiōem non improbant, sed magnopere commendant sancti patres, ut Augustinus, in expositione psalmi nonagesimi octauī: explicans hunc uersum: Adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est. Ita enim ait. Quæro quid sit scabellum pedum eius: & dicit mihi scriptura. terra: scabellum pedum meorum. Fluctuās conuerto me ad Christū: & ipsum quæro hic, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra: sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram quia caro de terra est, & de carne Mariæ, carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est qualiter adoretur tale scabellum pedū dñi. & non solum non peccamus adorādo: sed peccemus nō adorādo. Nunquid autē caro uiuificat? Ipse dominus dixit: cum

Psal. 98

Augusti.  
Esa. 66.



EVCHARISTIAE. .I. 63.

de cōmendatiōe eiusdē terræ loqueretur. Spiritus est q̄ uiuificat: caro aut̄ nihil prodest. Ideo & ad terrā q̄libet cum te inclinas atq; prosternis: non quasi terrā intuearis, sed illū sanctū, cuius pedum scabellū est q̄ adoras. Propter ipsum em̄: adoras. Ideo & hic subiecit, Adorate scabellū pedū eius: quoniam sanctum est. Quis sanctus est? In cuius amore: adoras scabellum pedum eius. Et cū adoras illū: ne cogitatione remaneas in carne, & a spiritu nō uiuificeris. Spiritus em̄ (inquit) uiuificat caro autem nihil prodest. Hæc ibi. Quam expositionē approbās Cassiodorus: in eiuſdem loci explanationē ait. Augusti. diligentissimus exquisitor corpus domini quod de Maria uirgine sumpsit scabellum diuinitatis eius asseruit debere sentiri propter naturam humanitatis quam est dignatus assumere. Illi enim uirtuti esse subiectū atq; unitum: omnibus creaturis cōstat ex cellius. sicut dicit apostolus. Quod infirmū est dei: fortius est hominibus. Et alibi, de eodem mediatore dei & hominum homine Christo Iesu: apostolus dicit. Propter quod deus exaltauit illum: & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. ut in nomine Iesu, omne genu flectatur: cœlestium, terrestrium & infernorum. Hæc ille, Diuinus itidem Paulus ad Hæbreos scribens: eximiam Christi excellentiam declarat his uerbis. Et cum iterum introducit (deus scilicet pater) primogenitum in orbem terræ: dicit. Et adorent eū omnes angeli dei. Quē aut̄ totus angelorū adorat chorus: cur & homines nō adorabunt Christum igitur uerū deum & hominem, nō mō in cœlis regnātem, sed & in sacra eucharistia ueraciter & mirabiliter subsistēte: pie ac religiose adorat tota fidelīū multitudo. Et sacræ

Ioan. 6

Psal. 98

Cassiodo.

I. corint. I.

Philipp. 2

Hebræo.  
Psalm. 96



## DE SACRAMENTO

2 eius corpus inibi existens qm̄ a uerbo separari nō  
pōt: deuota adoratiōe ē ab oīb. honorandū. ¶ Ac  
uero si in eucharistia dicatur esse sola panis substā  
tia, sine corporali præsentiā Christi: quicunq; hono  
rem latrē impenderent hostiæ consecratæ, rei es  
sent idolatriæ. q̄ soli deo debitum cultum, exhibe  
rent creaturæ: utpote panī materiali. Totus itaq;  
mundus Christi nomen colens: a principio coru  
sationis euangelicæ ad hæc usq; tempora, fuisse  
infando idolatriæ errore detentus. q̄ hostiā cōse  
cratā adorauerit in ipso missæ mysterio. & in cō  
ditorijs sacris decenter atq; pro dignitate repositā.  
Et solus Oecolampadius lumine sacræ fidei illu  
stratus cum suis astipulatoribus: huius horren  
dissimi criminis euasisset reatum. cū sentiat non esse ado  
randam hostiam sacratam: q̄ sola sit ibidē panis  
triticeī substantiā (ut ante sacerdotale consecratio  
nem fuerat) iuxta eius placitum. Quis at id admi  
serit unq̄. totum mundum hæcenus ī errorē tene  
bris circa dignissimi huius sacramēti fidem & cul  
tum, esse uersatū: & paucos hoc seculo natos, cras  
si erroris huius atram deterfisse caliginē? Non enī  
ita dereliquit dñs pop. suum, neq; sic spreuit hære  
ditatem suam: ut passus fuerit omnes sui nominis  
cultores hæcenus tā denso ignorantia & impietate  
inuolui nubilo, plus minus mille & quingentis  
annis. ¶ Insuper, Urbanus quartus, summus pon.  
instituit speciale festum quotannis per uniuersam  
ecclesiam celebrari debere: in uenerationē & ho  
no rem sacratissimi eucharistiæ sacramenti, feria  
quinta post octauas pentecostes. Et assistentibus  
officio ecclesiastico in prædicta solennitate & per  
octauas eiusdem: distributiones contulit spiri  
tuales admodum largas, multorū scilicet dieꝝ rela

Gratia in  
commoda  
assertionē  
Oecolampadi  
sequen  
tia.

Urbanus  
quartus



ratione de iniunctis poenitentijs. Quemadmodū  
 liqdo cōstat ex prædictæ sanctiōis tenore. integre  
 explicato in Clementinrum constitutionum libro  
 tertio, titulo de reliquijs & ueneratōe sanctorum  
 cap. si dominum. Vbi & Clemens quintus in cō-  
 cilio Viennensi, eandem Urbani ordinationem de  
 celebrando singulis annis festo corporis Christi;  
 districte & adamussim iubet obseruari. In quo q-  
 dem sanctionum canonicarum capite modo citato  
 multa afferuntur præclara & singularia præconia  
 excellentissimi huius mysterij, q̄ linguis humanis  
 satis laudari nequit. Et dignum profecto est caput  
 illud iam annotatum: quod a uertice (ut aiunt ad  
 calcem usq; legatur ab omnibus. Nam & uerita-  
 tem domnici corporis in eucharistia, solide asti uit  
 & huius fidei tanq; firmæ basis innitens professio  
 ni quamplurima ibidem commemorat diuinæ bo-  
 nitatis in hoc sacro mysterio beneficia, piarum  
 mentium excitatoria in deuotionem uberiores  
 & uenerationem tam sublimis sacramenti. Quod  
 autem opus illud institutionis prædicti festi, non  
 ex hominibus fuerit sed ex deo (quemadmodum  
 & Urbanus ipse illic refert. se cum necdum ad  
 summi pontificatus apicem esset prouectus, intel-  
 lexisse: quod fuerat quibusdam diuinitus reuela-  
 tum, festum huiusmodi generatim in ecclesia ce-  
 lebrari debere) hinc sumitur argumentū: quod ab  
 eo tempore dissolutum non est, neque nunc dissol-  
 uitur illud institutum, sed in dies maius sumit in-  
 cremenū: & mix; in modum cernitur adaugeri  
 fidelū deuotio ac studiū: circa prædicti festi cele-  
 brationē. ¶ Nepe eo die in singulis ecclesijs solen-  
 nis igitur supplicatio (quam processionē uulgo di-  
 cunt) omnīū longe celeberrima. In qua, cum toto

Clemens;  
 quintus.

Cōmenda-  
 tio suppli-  
 cationis so-  
 lenis: q̄ fit  
 4.  
 i festo cor-  
 poris  
 Christi.



## DE SACRAMENTO

cleri & populi conuentu detetur p uicos & plateas: cum summa ueneratione, sanctissima eucharistia: in canticis & laudibus iubilatorijs. Frequens quoque illi adhibetur tadar & luminarium numerus. Adornantur etiam parietes domorum tapetis & uirentibus ramis: plateae uero, odore graminae & suauolentibus herbis resperguntur. Et quicquid officij, pietatis studio impendi potest huic solenni supplicatio: certatim exhibetur a deuoto populo. quod non nisi incitante deo: tam studiose & religiose fieri crediderim ubique locorum. Haud aliter quam Christo ingrediente ciuitatem Hierusalem, paulo ante suam passionem. populus Iudaicus cum magna laetitiae applausu confessioneque laudis eidem occurrit. alijs uestimenta sua sternentibus. in uia: a ihs uero ramos arborum cadentibus, & iactantibus. in terram ad uiae ornamentum. denique alijs Christo acclamantibus uera laudum praeconia: quae spiritus sanctus eis suggestit. Et illi quidem tunc mortalem & paucis post diebus ignominiosam passuram mortem: tam insigni profecti sunt honore. Nos uero iam immortalem & impassibilem, triumphata morte regnantem in caelis, & pro ineffabili sua dignatione nobiscum sub tegmine uenerabilis eucharistiae uere praesentem: merito his ueneramur obsequijs, & officiosa hominum honoris debiti exhibitione colimus. Ai si in ipsa eucharistia solus esset secundum substantiam panis, sine corpali Christi praesentia, iuxta aduersariorum assertum: quod dies festus esset illi dedicandus, aut quae solennitas foret exhibenda institutioni ipsius sacramenti? Quis item dignum duxerit, cum conferre panem illum materiale: cum thurificatione, tadar, cereis, & ceteris ornamentis, diuinam decentibus maiestatem? Cur praeterea tanta po-

Matth. 21

Marci. 12.

Luca. 21.

Ioan. 12.



puli frequentia ad tam celebrē solennitatem tunc concurreret: ut panē illū terrenæ substantiæ & materialē diuino propemodū cultu prosequeretur? Ex laudatissima igitur festi illius ordinatione, & cōmendabili eiusdem obseruatione, quotannis in maiorem ex crescente totius populi deuotionē: nō inutile sumitur argumentū, pñtiæ corporis Christi in eucharistia confirmatorium ¶ Porro Oeco- lampadius, molesto ferēs animo, tantam dño deo exhiberi in prædicta sacratissimi corporis Christi solennitate reuerentiam: ipsam celebritatem mō descriptam, his uerbis indigne sugillat in suo quod impugnamus opusculo. Palam autē est, q̄to fastu, q̄ immodico luxu, q̄ta solennitate: festum corporis Christi, quod uocant, agatur. In quo, qđ Ch̄o dignum sit: uideo minimum. Intermittitur annu- ciatio v̄bi: quo locus sit ludis & cærimoniis. Igno- ratur uerus eucharistiæ usus: aperitur idololatriæ fenestra. Exaggerantur supra modū superstitiones: in domibus, agrisq; lustrādis. Mulieres in cul- tu meretriceo: sacerdotes amassiorē more cōpti in fastu regio, milites in arma turatruculenti. Hæc il- le. Omitto lubens, q̄ continuo prosequitur ibidem in eandem tendentia sententiā. qm̄ satyram magis sonant: q̄ piā doctrinam, aut admonitorium sermonem. Sed quorsum hæc om̄ia: ut damnet & infectetur religiosam fidelis populi in ueneratio- ne tam sacri mysterij pietatem. Qm̄ id male habet uir: q̄ tanto honoris obsequio colatur ipse domi- nus deus noster in hoc admirabili sacramento, qđ nobis reliquit in sui monumentū & pignus amo- ris. Hinc ueram Christi in eucharistia adorationē: impio uocat ore idololatriam. Laudabilem quo- que cærimoniæ obseruationem circa dignā eu-

Impius in  
dānatione  
» festi  
» corpo.  
» Christi  
» Oeco-  
» lamp-  
» dius.



## DE SACRAMENTO

charistiae uenerationem (q̄ synceriores fidelis populi testatur affectum) appellat superstitionem. Ornamenta uero uestium sacrae ad hanc festi celebrationem spectantia & debitam dei honorationem, luxum uocat & p̄pam, omnia in sinistram

6 partem obuertens. ¶ Cetero nō meminit ipse, aut meminisse se dissimulat, quous in diuinae scripturae lectione diutius sit uersatus: cum q̄ra celebritate deduxit Dauid rex pientissimus arcam Dñi, de domo Obededom in ciuitatem suam: cum honoratissimo sacerdotum & leuitarum choro, & uictimis pinguibus. In qua deductione, regiae maiestatis oblitus, non solum cithara ludebat & organis: sed & totis uiribus saltabat ante dominū. Non

2: Reg. 6 uenit etiam illi in mentem: cum quanta sollemnitate Salomon filius eius, eandem arcam dñi transtulit de ciuitate Dauid, in templum illud magnificū quod recens extruxerat. Ad quam translationē cōuenisse scribuntur omnes maiores natu Israel, cū principibus tribuum: & duces familiarum filiorum Israel, cū sacerdotibus & leuitis, numero saepe uictimaru immolatione. Erat autem arca illa: tanq̄ typus & umbra sacratissimae huius arcae (Eucharistiam dico) in qua omnes thesauri gratiae sunt reconditi, & in omnes affatim exundant. Haec certe arca est salutis & benedictionis: non honoris temporalium largitatem (ut prisca illa arca: in domo Obededom) sed spiritualium donorum affluentiam cōferens. Quid igitur damnat Oecolampad. & improbat, nostram hanc arcam superdiuinam circumferri a populo cū ingenti honore & reuerentia: in die sacro, huic sollemnitati quotannis designato? Quid igitur reprehendit decetem ornatum exteriorē in uestibus, & honesto fidelium cultu atq; amictu ad cumulationē

3: Reg. 8

4: Reg. 6



tantæ rei decorem? Quid si in hac celebritate aliqua  
fiât præter modum & rationem: imo per abusum  
quendam, superinductum ab eo homine inimico  
qui gaudet & assidue studet in agro dñico, bono  
semini superfeminare zizania: nunquid idcirco da-  
mnâda est ipsa festi institutio, aut celebris eius ob-  
seruatio? Reseentur potius acuta falce ecclesiasti-  
cæ seueritatis & autoritatis illa mala & noxia gra-  
mina: quæ ita succrescunt sensim, & pmaneat recta  
instituta: rônabile hoim obsequiũ circa hoc supdi-  
uinum mysterium, cõsolidantia & cõfirmantia.

Matt. 15

¶ Quid uirtute uerborum Christi, consecra-  
tioni faciendæ designatorum: panis in cor-  
pus Christi uere conuertatur, & uinum ca-  
licis in preciosum eius sanguinem.

Cap. XX.

**O**STensum iam facis superque putamus: **I**  
in sancta Eucharistia, uere & re ipsa  
Christi corpus cõtineri. Nunc reliquũ  
est paucis aperire, quoniam pacto illic  
incipiat ipsum esse: quod ante ibidem  
non fuerat. an transmutatione aliqua interuenien-  
te: aut citra omnem permutationem. Ad quod di-  
nosendum: id unum ante omnia firmiter habend-  
um sancit catholica religio. quæ per prolationem  
ueroꝝ a Christo domino institutoꝝ ad perfici-  
endam sacræ eucharistiæ consecrationem: panis  
ipse in altari propositus, ueraciter in corpus Chri-  
cõuertitur, & uinũ in calice bñdictionis contentũ  
in ueroꝝ eius sanguinẽ. Pro cuius asserti solida com-  
ptobatione, sufficere certe deberet illa publica toti-  
us ecclesiæ professio: quæ i prosa illa de sacrosctã eu-

Eccle. ca. 2  
tholicæ  
professio  
de euchar-  
istia.